

enberg

ss.

bd. 6

1791





36A

1928 K 944

16, 27

DE
VANO MORBI BOVM GALLICI CARNIS-
QVE INDE MALE INFECTAE ET
INSALVBRIS METV.

DISSERTATIO OECONOM. - MEDICO - POLITICA

QVAM

INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO
NVERNBERGERO

PHILOS. ET MEDICIN. DOCT., ANATOM. ET BOTANICES PROFESS.
PVBLIC. ORDINAR., MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE
CVRIOSORVM INSPECTOR., SOCIETATIS OECONO-
MICAE LIPSIENSIS SODAL. HONORAR.

PRO

GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

D. XI. MENS. OCTOBR. MDCCCXC.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB NEVMANN

ODERSCHAARIENSIS - HERMVNDVRS.
MEDICINAE CANDIDATVS ET PRACTICVS.

VITEBERGAE,

EXCVBIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

1790

279



INSTITUTIONE MATH. PHYS. NAT. HIST. MUSEI
MUSEI HIST. NAT. MUSEI HIST. NAT. MUSEI
MUSEI HIST. NAT. MUSEI HIST. NAT. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI
MUSEI HIST. NAT. MUSEI HIST. NAT. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI
MUSEI HIST. NAT. MUSEI HIST. NAT. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI
MUSEI HIST. NAT. MUSEI HIST. NAT. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI


PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI

PHYSICAE MATH. NAT. HIST. MUSEI



§. I.

Non ita arctis limitibus circumscripta est ars nostra salutaris, vt pristinam ea tantum hominum sanitatem qualicumque modo laesam, amissamque restaurare, siue quod idem est, morbos bene multos curare, aut rerum, quibuscum quotidiana nobis est consuetudo, recto et sapienti vsu praesentem valetudinem, quantum fieri potest diutissime prosperrimam conseruare possit: sed quam plurimis prodesse cupiens hoc quoque solertissime prouidere studet, ne quid salus reipublicae detrimenti capiat. Hinc non solum in rebus in foro passim obuiis, iisdemque cum certitudine indagandis, medicorum saepe opus est inuestigatione, aut si, quid de causa quadam definiendum decernendumque sit, litigatur, dubitaturque, eorum antea sententiae requiruntur: verum etiam si de quibusdam saeculi vitiis, aut de peruersa quadam et ridicula et superstitiosa consuetudine, e praecipitata vulgi opinione plerum-



plerumque profecta, corrigendis, aut de variis institutis recens ordinandis, aut mutandis, aut abrogandis quaestio mouetur, ad medicorum consilia iure meritoque prouocari solet. Quemadmodum prius ad medicinam forensē, et quam dicunt legalem spectat, ita hoc politicae medicae argumentum constituit. Quae quo magis doctrina olim neglecta fuit, tanto diligentius tantoque studiosius nunc colitur, et quidem sic, vt partim ab eruditis scriptoribus in formam systematis iam sit redacta, partim in academiis praecipua eius tradantur. Etsi vero talis ego non sum, qui existimem, hunc esse prae caeteris felicissimum reipublicae statum, cuius summam medici tenent, laude tamen et imitatione dignum esse censeo quarundam ciuitatum morem, quo fit, vt variis magistratuum muneribus praeficiantur, vtque illi ipsi senatores de rebus ad salutem publicam pertinentibus sententiam pariter dicant, atque decernant. *) Quid? quod vel ex ipsa medicina, vt suum cuique tribuatur, saepe rationes petendae sunt, eademque iudices de eo, quod iustum aut iniustum est, egregie solet instruere. Illustrae huius rei exemplum habes in argumento, quod in hac dissertatione pertractare proposuimus. De morbo enim perniciosissimo loquimur, quo e pecorum genere facile praecipuum et vtilissimum, ^{b)} quod et alimenta praeparat aliis, et ipsum

*) Ipse quondam Iulius Caesar omnes medicinam Romae profectos, et liberarium arrium doctores, quo lubentius et ipsi urbem incolerent, et caeteri appeterent, ciuitate donauit, candide ita referente SVETONIO in vita Iul. Caesar. c. 42.

b) Quam multa et insignia commoda ab hoc pecudis genere expectanda sint, viuis coloribus depinxit VEGETIVS, qui duos integros libros de cura bouum scriptis suis inseruit. Ita vero hic de illis diserit: Maximo autem incitamento, (vt scilicet ex diuersis auctoribus enucleata colligerem, pedestrique sermone in libellum conferrem,) mihi fuit ipsorum bouum vtilitas

ipsum dat alimoniam optimam atque saluberrimam, boues
puta, non vere laborat, sed infectum esse creditur scilicet.
Morbum autem hunc minime verum, sed tantum imaginari-
um, ita foetum abominandumque esse putant, ut suspectum
gallici nomen ipsi impostuerint. Atque secundum ea, quae
super hac re siue legibus, siue usu instituta sunt, hasce non
solum bouum carnes tanquam inutiles, hominumque saluti per-
niciosissimas hactenus reiectas fuisse, constat, sed emtoribus
quoque venditores intra certum tempus pretium antea solu-
tum reddere tenebantur ⁴⁾. Ecquid vero magis inhumanita-
tem redolēt, quam carnes intemeratas, quae plurimorum ho-
minum alimoniae adhuc inferuire potuerant, ad loca mortici-
naria damnare velle, et corruptioni tradere, et sic annonae
caritatem saepissime augere? An quid esse potest magis iniu-
stum, ad damnum resarciendum cogere infantes et eos, qui
non tam fecerunt quam ipsimet passi sunt damna grauissima?
Iam itaque extiterunt hoc nostro demum, quod mireris, aeuo
medici prudentiores, cordatioresque haud pauci, ⁴⁾ qui huius

A 3

opinio-

ae gratia, sine quibus nec terra excoli, nec humanum genus sustentari
vllatenus poterunt. Cuncta igitur legumina siue frumenta bobus merito
aratrisque debentur; vinearum ipsarum usus periret, nisi eorum admi-
niculis subochendis carpenta succarent. Quid de dinersorum onerum
comparacione referamus, dum inter mobilia, et quicquid grauius est, abs-
que vehiculis pene reddatur immobile? Reliqua quoque animalia ipsae-
que cohortales aues ex eorum capiunt labore substantiam. Vnde enim
equis hordeum, vnde cibum canibus, vnde porcis pabulum dominorum
solerzia ministraret, ni pararentur bouum labore frumenta? Et ne lon-
gum faciam, bobus debent alimenta, quicquid ali potest. Apud alios
genus mulorum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum licet
exiguus usus est, nulla potest natio esse sine bobus. Mulomedicinae Lib.
III. Prolog.

e) vid. Constitutio Hanouica §. II. VI. sqq. citante BAYMERO in Medicin. fo-
renf. P. III. de iure veterinaria civili. C. IV. §. XII.

4) GRAVMANN'S diäterisches Wochenblatt für alle Stände, Rostock 1781. 87.
B. III. St. 41-44. p. 321. Ej. Abhandlung über die Franzosen-Krank-
heit



opinionis vanitatem clare perspicueque ostenderent, et solide refellerent, damnoisque illis legibus et institutis hinc inde abrogandis ansam praeberent felicissimam. *) Quo grauiora vero sunt haec argumenta, quoque illustrior est generique humano vtilior eorum veritas, tanto magis ipsorum vim in hoc inaugurali specimine denuo expendere, et rationibus aliis quibusdam additis confirmare operae pretium duximus.

§. II.

Inter omnes constat, morbum, quem gallicum appellare solent, proprie Luem veneream, siue malum, quod quoque dicunt Siphyliticum, aut Neapolitanum designare. Natales eius a fine saeculi decimi quinti vulgo repetunt, et ab omni inde tempore creditum fuit, ex America fuisse eum a *Christophori Columbi* comitibus, siue ab hospitibus Americanis, quos secum duxerat, siue ab ipsis eius classariis Hispanicis in Europam translatum, adeoque sic vna cum noui orbis detectione hunc quoque primum innotuisse. Sunt vero alii, qui existiment, longe antiquiorem esse debere morbum atque

heis des Rindviehes. Rostock 1784. it. *WICHMANN Ueber die sogenannte Franzosen-Krankheit des Rindviehes*. Etwas zur medicinischen Policy gehöriges. Aus dem Hannöuerischen Magazin 87 St. 1787.

- e) *Publicandum zur nähern Belehrung der vermeinten Franzosenkrankheit bei dem Rindvieh*. Berlin den 26. July 1785. quod insertum legitur in *Pylis* neuen Magazin für die gerichtliche Arzneykunde und medicinische Policy. I. B. 4 St. p. 698. it. *Herzogl. Sachsen-Weimariſche Verord- nung wegen des sogenannten französischen Rindvieſcheis*. Weimar, d. 25. Aug. 1786. it. *Churfürstl. Sächsisches Mandat wegen des sogenannten französischen Rindvieſcheis*. Dreisden, d. 23. May 1787. it. *Chur- Hannöuerisches Edict, die sogenannte Franzosenkrankheit des Rindviehs betreff*. Hannover, d. 5. Nov. 1787. it. *Hochfürstl. Fuldaische Ver- ordnung von den sogenannten Franzosengeschwülsten beim Rindvieh*. Fulda, d. 1. Hornung 1788. vide sis etiam *SCHERERS Beyträge zum Archiv der medicinischen Polices und der Volksarzneykunde*, I. B. I. St.



atque iam ante primum celeberrimi illius inuentoris nouae partis terrarum orbis ex America reditum in Europa eundem extitisse. Namque sicuti is turpi et effreni libidini debeatur, ita neminem posse latere, iam apud prisca Graecos et Romanos, ne dicam remotissimorum temporum gentes vna cum *παιδερασια* exquisitissima lasciuiarum et scortatorum genera viguisse, longeque magis quam his recentissimis temporibus in ea re fuisse peccatum. f) Quibus addere debemus, quod monumenta anno 1493. antiquiora omnino prostant, in quibus graphice descripta sunt varia tetri huius morbi symptomata, licet nec gallici morbi nomine insigniantur, nec a spurca Venere nata esse dicantur. Tantum autem abest, vt hancce litem, tanquam ad rem nostram parum facientem, componamus, vt potius lectores cupidos ad scriptores vltro citroque disputantes, ASTRVCIVM puta, FREINDIVM, SWIETENIVM, HENSLERVM ^{g)} et alios delegemus. Magis inter se consentiunt, si, quorsum referendus sit morbus gallicus, quaestio moueatur. Ad morbos nempe contagiosos, siue eos pertinere, qui ex vno corpore in aliud transeunt, et in illud inde quasi transplantantur, omnes vno ore affirmant. In tali vero morbo, vt vere enascatur, varia videntur supponi. Et primo quidem ad contagiosum morbum producendum duo corpora requiruntur, alterum e quo contagium exeat, quo idem, necesse est, infectum sit, alterum vero in quod transeat, et a quo vere recipiatur, siue quod idem est, inficiatur. Nunquam enim sponte tales morbi proueniunt, aut per se soli gene-

f) *Göttingisches Historisches Magazin*, VI. B. 2. St. III. Abhandl.

g) IOH. ASTRUC *de Morbis venereis*. I. FREIND. *A Dissertation on the origin of the Venereal Disease*. VAN SWIETENII *Commentar. in H. Boerhaav. Aphorism.* T. V. §. 1440. D. PHIL. GAER. HENSLERS *Geschichte der Lustseuche*. Altona, 1780.



generantur, sed singulari antecedenti infectioni qualicumque modo factae, suam semper debent originem. Deinde id quod exit et communicatur miasma plerumque audit, et materiam plus minus subtilem, summe efficacem, multiplicationis capacem, ac late sese diffundentem, acrem, et maligna indole praeditam constituit, qua oeconomiam animalem pessime afficere, et effectus in ea deleterios ut plurimum producere solet. Ea tamen est contagiosorum morborum natura, ut cuilibet proprium miasma competat, nec possit aliud ab alio excitari. Hinc ad morbum gallicum efficiendum nullo alio quam miasmate venereo opus est. Ad occultas vero res, quas τὸ Θάρον appellare solebant veteres, ^{h)} referri debere videtur, quatenam sint singulorum miasmatum partes constituentes, earumque peculiaris mixtio; et vndenam natum sit miasma venereum illud, quo primus mortalium se infectum esse senserat. ⁱ⁾ Quamvis admodum videatur probabile;

^{h)} vid. I. HEURNII *Commentar. in Hippocrat. Prognostic. l. 2. t. p. 115.*

ⁱ⁾ LISTERO credibile est, primum luis venereae ortum vel a morsu animalis cuiusdam venenati, vel a victu certe aliquo venenato deducendum esse. Quam eius sententiam Oviedi cuiusdam observatio confirmavit, qui refert, Indos auide comedere solere, et in deliciis habere serpentum quadrupedum generis aliquod in lingua eorum vernacula *Inguana* dictum. Homines vero Hispanos ad eorum exemplum hanc haud medicam bestiolam in cibis suis quoque posuisse, cum neque eius gustus displicerit, utpote, qui cuniculorum carne multo sapidius sit, nec quenquam eorum eius laeserit, nisi quem lues venerea affecisset ante. Infinitis namque exemplis expertos fuisse istos homines, etiam si hoc malo diu sanatos, eundem inde illico excitari et renouari. *Haud itaque absurdum est, LISTERO pergit, credere, luem hanc originem suam ex simili, si non ipsa illa causa habuisse, cum ex eorum quidem esu pro-rinus renascatur malum, diu ante quasi extinctum.* Eo quoque hoc accedere putat, quod, sciti in pudendis utriusque sexus hoc malo affectorum, cum alia iamdiu desierint symptomata, *crissae spissae dentatae* nasci soleant, ita serpentis *Inguanae* corpus ex toto tere istiusmodi crissis obfessum sit. Namque haud ita rarum esse, ut animalia vene-

nate



le, morbum gallicum ab initio non tam a contagio quam ab alia potius causa manifesta et euidenti natum esse; talis tamen semel factus idem pertinaciter huc vsque perstitit, nec alio vnquam modo eundem nisi per infectionem, etiamnunc fuisse procreatum scimus. *) Modi, quibus haec contagia venerea communicari feruntur, admodum varii sunt, et ita comparati,

nata contagii sui characteres proprios et peculiare imprimant. Sic in hydrophobia a canis rabiosi morfu latratus, deglutendi canina voracitas, item lambendi potius quam bibendi, cum assidua linguae exsertione, aptitudo, aut a tarantularum morfu assidua saltandi cupiditas obseruaretur, quandoquidem istiusmodi araneorum gressus nullus alius esset quam more pulicem de loco in locum saltatio. vid. *Exercitatio medicinalis de lue venerea* p. 149. FRIDERICVS Magnus beatae memoriae Borussiae Rex, Vnicus dictus, in singulari scripto ab ipso quondam Berolini edito, cui titulus: *de l'Amerique & des Americains*, aliunde deducebat originem huiusce mali, eam nempe tribuens potissimum carnibus animalium sagittis venenatis peremptorum, quibus gentes Americanae copiose vesci solerent. Quam singularem eius sententiam, sicuti iam antea fouerat, ita quoque postea a Chirurgo quodam Anglo Hewit confirmatam fuisse testatur. Namque is idem commemorans, et ad experimenta repetitis vicibus ea de re instituta prouocans, pro certo asseuerauerat, hunc ipsam esse, nec alium luis venereae ortum. vid. ZIMMERMANN'S *Eragmente über Friedrich den Großen*, III. Band. p. 9.

- k) Idem testatur SWIETENIVS, sequentem in modum ea de re disputans: Constat ergo, morbos posse nasci in homine a causis manifestis, quarum causarum illi morbi effectus sint; et tamen per hos morbos sic mutari corpus hominis aegri, ut per contagium isdem morbis inficiat alios homines, qui non expositi fuerunt causis illis manifestis, a quibus ille aeger morbum sibi contraxerat. Sic ut vere dici possit, quod totus homo morbus fiat, et illum propaget vndique: Contagium ergo nascitur in humano corpore illo tempore dum morbus adest absque contagio natus, et per hoc contagium semel natum latissime diffeminari morbus poterit. — Omnia haec, si rite expendantur, videntur demonstrare, morbum posse nasci in corpore humano absque vilo contagio praecexistente, et tamen per hunc morbum nasci contagium, quod se quam latissime diffundere possit, et multiplicari, ubi semel natum fuit abique vilo cognito limite, simili fere modo, uti ex minima ignis scintilla latissime propagari potest incendium, si combustibile ignis pabulum non defuerit. l. c. §. 1382. p. 18.

B

Vbi



rati, ut alii eorum frequentissimi atque certissimi sint, alii contra infrequentiores, ac incertiores, quin imo tales esse videantur, in quibus quaedam causarum coincidentium fallaciae facile subrepere possint. Inter hos nempe propagandi modos referre solent coitus impuros, lactationem, pocula tabo venereo contaminata, oscula lasciva, saliva spurca polluta, infectionem arte factam et contrectationem, generationem quoque, et exhalationem qualemcumque ab infecto corpore emissam, et ab alio infectam, siue quam dicunt contagionem per fomitem. Dum oestro venereo perciti inter se coeunt, vel quod partes eorum genitales tumentes ac irritatae se inuicem mutuo contingant, vel quod a profusis liquoribus multum illae madefiant, et conspurcentur, ibidemque locorum virus venereum plerumque contineatur, immediatum eius fieri posse in alterutrum corpus transitum, nemo non videt. Hinc quantum ad morbum gallicum hic ex omnibus contaminationum generibus praecipuum sibi locum vindicat. Miasmata denique venereo praeter supra recensitas proprietates communes hoc etiam attribuas, quod indole potissimum acri vehementerque rodente, partesque depascente, fluidaque coagulante, fixa tamen magis, quam volatili praeditum sit, nec a vulgatissimis remediis virulentia eius perdometur. Hinc in partibus illis, quas occupat, quamprimum pruritus, calorem, ruborem, inflammationem, pustulas, et ulcera non tam profunde penetrantia, quam potius late proserpentina provocare solet; hinc cum mucosis potissimum et oleosis liquidis coire consuevit; hinc firmas partes facile in tumores eleuare, earum-

Vbi semel natum hoc contagium, necesse non est, ut eadem causae manent perennes, quae morbum in primo aegro produxerant, sed idem morbus vim suam exercere perget in alior, communicando contagium, quod qui curare potest, liber manebit a morbo. ibid. §. 1443. p. 388.

earumque volumen insigniter augere amat; hinc denique, quantum vsu prudenti compertum est, nunquam per contactum distans, sed modo per immediatum contactum, modo per fomitem transplantatur, nec vnquam lues venerea epidemice grassans, saltim in nostris regionibus obseruata fuit.

Sed age iam tetri morbi imaginem ipsam depingamus, quo, quam funestis ille symptomatibus stipatus sit, quamque horrendis saepenumero phaenomenis idem sese manifestet, tanto euentius appareat. Postquam nempe virus venereum parti cuidam corporis applicatum, et ab ea semel per poros cutis reforptum est, tunc protinus ea cum pruriente, calenteque dolore plus minus incenditur, et cuticula eius in pustulam subalbam, mucosam, latiusque proserpere tentantem eleuatur. Et quo teneriore subtilioreque epidermide cincta sunt illa loca, aut ea prorsus destituta, quae ab hoc tabo viroso alluuntur, tanto facilius ea tunc infici, tantoque grauius affici solent. Hinc in obscuro partibus et glans, et vrethra, et labia vuluae, et nymphae cum clitoride, et ipsa vteri vagina, hinc papillae mammarum, hinc labia oris, vna cum interna eius et nasi cauitate, hinc palpebrarum margines, hinc excoriatae partes, aut quocunque modo sauciatae, tam facile, tam crebro, tamque vehementer periclitantur. Si primum verenda virus occupauerit, quod e frequentius oblata occasione frequentissimum est, materia mucosa, plus minus spissa puriformis, viridisue aut alba vbertim inde profluit, et in sexu potiori gonorrhoeam malignam, in sequiori autem leucorrhoeam virulentam progignit. Quae spurca materia siue libere exstillans, siue intus stagnans rodente sua acrimonia has partes ita vexat, vt modo tumens strictumque praepertium e molesta phymosi, paraphymosiue, modo omne ver-



trum e priapismo immaniter doleat. Interdum quoque easdem partes, et in viris quidem vna cum praeputio glandem eiusque coronam, in foeminis autem labia vulvae, nymphas, clitoridem, vrethrae extremitatem, et carunculas vaginae vlcuscula occupant canerosa, modo distincta et pauciora, modo numerosa, conferta, ac confluentia, ichorem pessimae indolis plorantia, quae post curationem ipsam callos saepe tumoresque duros ac indolentes relinquunt, atque aut phymata quae dicuntur, aut chordas proferunt. Porro accidit haud ita raro, vt vel subito peruersaeque facta huius profluuii suppressione, vel quoque e summe maligna miasmatis venerei indole et marium testes modo alteruter, modo vterque, et glandulae inguinales in tumores phlegmonodeos scirrhosos, canerosos, oedematososue eleuentur, atque testiculos sic dictos venereos, et bubones producant, neque minus perinaeum abscessibus admodum difficulter perfanandis adficiatur. Hisce harum partium infectarum deformitatibus variae denique excrementariae adnumerandae sunt, figura situque diuersae, atque modo carunculas vrethrae, maxime molestas strangurias proferentes, modo verrucas exiles et planas, modo porros teretes et oblongos, modo cristas laciniatas repraesentantes, vel in perinaeo anoue propullulantia condylomata, tenui pedunculo adhaerentia, atque fragis, moris, ficubusue similia, Thymique, Mariscaequae dicta, vel fissurae fundo sulcorum anum radiatim ambientium insculptae, sub rhagadam nomine molestiam pariter atque dolorem vehementem procreantes.

Nec tamen obscoenis tantum partibus, aut earum confiniis pessimum hocce virus calamitates modo nominatas conciliat, sed longe lateque etiam, perque vniuersum corpus dispersgitur, partesque singulas infectione sua comprehendit, atque

que luem veneream vniuersalem confirmatam excitat. Hac autem semel praesente non solum ingentem oeconomiae animalis fere totius euersionem, et grauissimas functionum omnium perturbationes, verum etiam funestissimorum malorum lernam tibi fingere debes. Quamuis enim miasma venereum turpi contagione susceptum, per aliquod possit tempus, ac si fides habenda est scriptoribus, per plures interdum menses et annos in corpore delitescere, sine eo, vt damnosam illam stragem confestim edat: tamen si metus, tristitia, diffidentia, lassitudines spontaneae, pallores faciei, et dolores ossium, potissimum nocturni, sese adiungant, et causa inquinans praecesserit, conceptae labis suspicionem haud improbabilem mouere possunt. Si igitur ad cutim vsque lues delata est, tunc in ea impetigines, herpes, et exanthemata scabiosa pessimi moris, maximeque rebellia efflorescunt, aut tumores hinc inde duri proueniunt, aut vna cum vnguium corruptione et casu pili etiam desuunt, et alopeciae deformes ita pronascuntur. Summe vero deuastantem potentiam miasma venereum exserit, si os naresque occupauerit, siquidem non solum harum partium carnes molles ac spongiosas, gingiuas puta, palatum molle, columellam cum tonsillis, et membranam narium pituitariam totas exedit ac destruit, sed dentium quoque vacillationes profert, praetereaque nasi cartilagineas et vtriusque cauitatis ossa porosa neutiquam superanda carie consumit. Idem reliquorum ossium, et eorum praefertim, quibus paulo firmior est structura, modo praeter naturam auget volumen, siue in singulari parte, siue in omnium eorum ambitu, variasque aut exostoses, aut hyperostoses profert, modo duriores eorum compagem ita mutat soluitque, vt partibus mollioribus simillima euadant, in glandulis interim scirrhus et carcinomata, in adiposis autem cellulosisque par-



tibus melicerides, atheromata aut steatomata pravae indolis producendo. Et quot quaeso capitis vertigines, aut cephalaeae venereae, quot oculorum coecitates, quot haemoptyses et phthises, quot ventriculi vitia, et digestionum corruptiones, quot membrorum resolutiones, quot corporis emaciationes, quot etiam dolores rheumatici, arthritici, et osteocopi ab hac infectione metuendi sunt? Et quis demum finis aut in enumerando modus foret, si ingentem omnium quae luem veneream comitari et consequi solent, afflictionum, cruciatuum et symptomatum cohortem amplius in scenam producere vellemus? Ex his itaque apparet, morbum gallicum labem corporis esse facile foedissimam, non sua sponte provenientem, sed e turpi contagio, et impuro ut plurimum coitu contractam, alia corpora non minus inficientem, quam corporis iam infecti partes fere omnes pessime contaminantem, cuius inficiens miasma potentia enormiter deuvastante ac destruyente viro cancroso et carcinomatico fere conuenit. Caeterum ille non quidem velociter, sed lente potius tardeque corrumpit consumitque corpora, atque e numerosorum malorum et symptomatum syndrome compositus est.

§. III.

His, ut par erat, modo praemissis, ad morbi boum gallici descriptionem veniendum est, quo, qualis ea sit corporis affectio intelligatur. In quo nunc depingendo phaenomenorum scilicet multitudine destituti tanto erimus breuiores, quanto magis prolixi fuimus in recensendis luis venereae formis, ac mutationibus admodum variis. Tantum autem abest, ut forte ex anamnesticis aut prognosticis signis coniectare eum, aut subolere possis, ut omnis potius cognitio atque diagnosis e corpore iam mactato petenda sit, nec nisi post mortem
 ille



ille demum appareat. Perſaepe nimirum accidit, vt dum pectora boum a lanionibus aperiuntur, in cauitate eorum interna lobuli pingues, maſſaeque adiposae plures reperiantur. Haec tubercula plus minusue grandia et pleurae, et costarum carnibus, et pulmonibus, et ſupremae diaphragmatis faciei mediante tela cellulosa tam laxe adhaerent, vt a ſuppoſitis partibus digitis poſſint facillimo negotio deglubi, nec vnquam carnibus intime ſint intricata. Figuram non certo definitam, ſed maxime inconstantem habent, atque modo minora ſunt, et rotunda, ad lenticulorum, aut piſorum, aut fabarum formam accedentia, modo maiora, irregularia, et conglomerata, vt in acinos minores, qui fere racematim inter ſe confluxiſſe videntur, a ſe inuicem ſeiungi poſſint, modo etiam ſingulari pedunculo propendeant, et aut mori aut Rubi Idaei baccis ſimillima conſpiciantur. His color vt plurimum naturalis et fere carneus pallideque rubicundus, aut aliquantulum gryſeus, aut interdum marmoreus et variegatus eſt. Praeterea neque odorem cadaueroſum, putridum, viroſum, aut quocunq; modo foetentem ſpargunt, neque ingrato grauique ſapore, niſi forte aliquantisper ſalſo ſe ſe manifeſtant. Fabricam et ſtructuram internam ſi perlustramus, maſſam pinguem et adiposam, plus minusue denſam, externe membrana cellulosa tenuiſſima cinctam, interdum vnam alteramque guttulam liquidi ſeroſi limpidiſſimi, aut ſubſtanti in ſinu medio comprehendentem, caeterum integerrimam, nec quicquam corrupti aut ſuſpecti praes ſe ferentem oſtendunt. Quodſi igitur talibus glebis, e bona ſincerrimaque pinguedine conſtatis, ac nil, niſi vera et inſontia Atheromata referentibus, thorax boum maclatorum internus vna cum viſceribus eius reclusis plus minusue obſeſſus eſt, tunc iisdem a lanionibus vix conſpectis et immerentium boum corpora
mor-



morbo gallico contaminata, et carnes eorum inde pessime infectae, maximeque insalubres, ne dicam virosae esse iudicantur, et pronunciantur. 1) Noli tamen putare, singularibus hisce ornamentis solummodo boum pectora coruscare, sed haud ita raro quoque fit, vt tam facies septi transversi inferior quam peritonaeum, et omnia abdominis viscera eiusmodi pinguibus excrescentiis scateant. His vero large praesentibus, dummodo thorax iisdem liber fit, nil quicquam malorum modo commemoratorum suspicatur, aut metuitur, sed, quod quaeso mireris, et occisorum horum peccidum corpora ab omni peruerfa labe, aut morbo periculoso immunia, nec vlla vnquam reprehensione digna absoluntur, et carnes eorum bonae intemerataeque aestimantur, venditanturque. En itaque morbi boum gallici, qualis putatur scilicet, quemque tanquam abominandum, pesteque mortifera perniciosiorem laniones rudes et imperiti adeo adhuc crepant, obscuram infidamque faciem, atque nec iustis causis, nec declarantibus signis, nec ullis vnquam symptomatibus insignem!

§. IV.

Quemadmodum fuerunt, qui existimarent, primam
luis venereae originem ab impuris fecelestisque hominum cum
brutis

1) Hinc sapienti vtique consilio per mandata principum recentiora abolitae sunt leges illae, quibus lanionum societas vulgo obstringi solet, si qua ipsis forte inesset, quas inueterato huic cacoëthi faueret, aut olim occasione praebuisset. Sic in mandato Saxonico haec verba diserta leguntur: *Inmassen daferne in manchen Innungs-Artikeln ein dierstfälliges Verbot enthalten seyn sollte, solches hierdurch aufgehoben wird. Mandatum quoque Fuldense sequentia habet: Diese Unsere zur Erhaltung des an sich gesunden Fleisches dem Publikum sowohl wie auch dem Eigenthümer so nützliche Verordnung wollen wir demnach mit Aufhebung aller hieher aus bloßem Vorurtheil gegründeten älteren Ordnungen, Zunftartikel, und den Waisenmeistern eingeräumten Befugniss durchaus geltend wissen, et q. s. r.*

brutis coitibus deriuandam esse: ^{m)} ita quoque adhuc sunt, qui vel ipsas illas glebas adiposas, si quae forte in bouum praecordiis offenderentur, pro certissimo antea patrati incestus Sodomitici signo habeant. ⁿ⁾ Quandoquidem vero foeminarum cum bobus congressus exerceri vix potest, ita illae in vaccis tantum reperiundae essent, nec vnquam in boue mare occurrere deberent; experientia tamen hoc non confirmari, contrarium potius euenire certum est. Quid? quod ex ipsa rei natura clarissime patet, ne gallicum quidem morbum apud boues vnquam habere posse locum. Nonne enim inter omnes constat, luem veneream, siue malum siphyliticum proprie turpe esse promeritumque scortatorum flagellum, quod effraeni vt plurimum libidini suam debet originem, atque simul a contagio, ex impuro coitu contracto pronascitur? Quis vero est, quem fugiat, immodicis voluptatum illecebris vehementius crebriusque torqueri homines, quam bruta, Venereque eos magis laxa ac dissoluta vt, pecora e contrario quoad Veneris exercitacionem certis tantum temporibus atque definitis quibusdam terminis esse adstricta? Et cur quaeso tauri gregis bouinae morbo gallico nunquam corripuntur, cum tamen, vt felix fiat sobolis procreatio, crebrius ipsis Veneri litandum sit, hique tantquam gregis duces coitibus sane numerosis vexentur? Quin imo dic sodes, qui pingvicular illas glebas a spurco tali fonte deriuari posse, easdemque originis esse Venereae vnquam credas, cum in bobus castratis, probeque saginatis, quibus omnis hanc ob causam coeundi potentia erepta est, frequentius occurrant? Cur morbum etiam gallicum bouino tantum generi pro-

^{m)} Hanc olim *Helmontii* fuisse opinionem *Astruc* refert l. c. L. I. c. VIII. §. V. id. L. VI. Saecul. XVII.

ⁿ⁾ *GRAVMANNVS* l. c.



proprium esse opineris, et cur non alia quoque animalia domestica sub eodem cum bobus coelo tectoque degentia, eodem cum ipsis pastu enutrita, idem vitae et laborum genus exercentia eadem posse lue affici putes? Aut nonne his rerum conditionibus praesentibus necesse est, ut pecus vnum ab altero siue pastu stabuloque communi, siue etiam coitu pessime inficiatur, tamque pestifera lue ingentes boum greges corripiantur? Equis denique est, qui serio contendere audeat, partes horum pecorum genitales post laete peractos congressus venereos male se habuisse vnquam, aut spurcam inde labem contraxisse? Nunquam enim obseruatum fuit, e taurorum vaccarumve genitalibus gonorrhoeam illam virulentam fluoremue album malignum profluxisse, aut easdem partes ulcusculis cancrifera venereis conspurcatis, aut testiculo venereo, bubonibus, vitiisque aliis fuisse male affectas.

§. V.

Non solum vero, si de causa morbi boum gallici quaestio moueatur, multa sane sunt, quae possint in dubium vocari, sed iisdem quoque difficultatibus effectuum aequae ac signorum morbosorum examen laborat, vipote circumstantiis diuersimode repugnantibus plenissimum. Namque si perpendamus, quam virulenta, acri, rodente, inflammante, exulcerante, partesque corporis misere vexante, penitusque destruente indole praeditum sit miasma venereum, qui quaeso tibi fingere poteris, nullis signis externis, ac ne minimis quidem ab integritatis statu declinationibus vnquam sese prodere posse morbum boum gallicum, nec nisi post mortem demum e pinguibus lobulis hinc inde in praecordiis horum pecorum vnice repertis cognosci? Nonne potius ipsa boum corpora tunc manifeste morbosa, et foetis impurisque pustulis, aut vlcibus pessimum ichorem sanieque plorantibus obsessa, tabeque consumpta,

aut

aut quavis alia labe afflicta esse, vel boum etiam carnes putrido foetidissimoque tabo scatere, fereque diffuere debere existimares? *) Nil quicquam tamen horum omnium sese manifestare, nec vnquam fuisse obseruatum, omnes vno ore confirmant. Etenim glebae adiposae praecordiorum, quibus solis imaginarii huius morbi diiudicatio nititur, in pecoribus ut plurimum offenduntur antea bene valentibus, perfecteque vigentibus, et probe saginatis. Sunt nempe tales boues, qui, antequam feriantur, optime appetierant pastum potumque, et auide deuorauerant, qui bene ruminati erant, perfecteque digesserant et egresserant, qui facile corpus artusque mouerant, omnesque aetatibus suis conuenientes functiones sine vilo impedimento aut incommodo, iucundeque perfecerant; boues, inquam, in quibus, dum adhuc viuerent, nec oculorum lippitudo, nec peruersae mucosum e naribus profluuium, nec oris quaedam spurcicies, nec pilorum cutis purissimae defluuium, nec sub cauda tumores et exulcerationes, nec faeces aluinae et vrinae a statu naturali multum recedentes vnquam potuerant detegi. Quid? quod in vaccarum etiam pectoribus saepissime reperiuntur appendices illae adiposae, equarum tamen vberibus, antequam caedebantur, lac emulsum fuerat sincerimum, nec ingrato, suspectoque fa-

C 2

pore

- *) Recte propterea GRAVMANNVS l. c. iudicat, tunc demum has glebas adiposas, tanquam vere morbosas, latenter tamen et occulte malignas, suumque virus per omne corpus dispergentes pronuntiandis esse, 1) si certo constaret, vna cum eorum ortu et propullatione pecoris decrementum et marcorem confessim apparuisse. 2) Si pecora omnia, quorum in praecordiis hi tumores pingues reperiuntur, tabe semper consumpta essent, nec vnquam torosa conspicerentur, 3) si in boue tabe vere consumto, et sponte mortuo, hi soli offenderentur tumores adiposi, nec alia vnquam vitia partium internarum, quibus cum maiori veri speciei et morbus et mors subitanea tribui deberet. 4) Si alia quacunq[ue] corporis labe praesente nil tamen quicquam amitteret ab integritate sua bos, nisi quoque massae illae adiposae praesentes essent.



pore, vel odore contaminatum. Sic ergo non tantummodo signa morbum bouum gallicum praesentem declarantia plane non exstant, sed ne illa quidem atheromata praeuideri nec nisi macclatis iisdem demum cognosci possunt. Vel fac etiam, e large antea facta feliciterque succedente saginatione occultum eorum ortum forte suboleri posse, num oeconomiam bouum animalem inde damni quid aut detrimenti cepisse unquam obseruatum fuit? Nonne potius constat, in bobus ex ipsa hac saginatione torosis factis eadem frequentius occurrere, in macilentis vero aut strigosis pecoribus raro, aut nunquam offendi solere? Nec iustam subesse causam, cur morbum adeo tetrum, qualis profecto gallicus est, bobus tribuas, ipsa eorum extispicia luculentissime declarant. In eo enim omnes consentiunt, atheromatibus hisce praecordiorum licet copiosissime praesentibus omnia tamen thoracis pariter atque reliquarum cauitatum viscera nullo vitio aut labe corrupta, sed illaesa, intemerataque fere semper conspici. Nonne vero ab eiusmodi partium integritate, quibus tam graues functiones peragendaes sunt, ad corporis etiam illibatam sanitatem concludere licebit? Addamus his, quod vel ipsi illi tumores e sincerissima pinguedine conflati sint, praetereaque nil quicquam morborum aut impuri in se contineant, ac ne odorem quidem nauseosum, putridum, foetidumue spargant. Eadem denique et partium earum, quibus illi tumores adhaeserant, et reliquarum omnium carnum ratio est, quippe quae ne minimam quidem infectionis aut ullius cuiuscunque peruerfitatis notam prae se ferunt, sed intemerato potius habitu, et colore, et odore, et sapore facile omnibus sese commendant. Hinc multi etiam homines, et uniuersae variarum regionum gentes adeo parum metuunt morbum bouum gallicum, ut profusum eum ignorare videantur, carnesque, quas alii tanquam detrimetosas abhorrent ac reiciunt, sine ulla
fani-



fanitatis noxa ab iisdem comeduntur. Quae cum ita sint, fati superque patere existimamus, morbum boum gallicum, qualem vulgo putant scilicet, in quorundam quidem hominum, e rudi et imperita plebe imaginatione, non autem in ipsa rerum natura exsistere, nec esse, cur vel illum ipsum, vel carnes eorum tanquam pessime infectas metuamus, ac ne prauam perniciosamque inde indolem acquirant. Hinc apud scriptores quoque, qui artis veterinariae praecepta tradiderunt, tam veteres quam recentiores de morbo boum gallico altum vbiq̄ue silentium est.

§. VI.

Coronidis loco paucis iam rimabimur, quatenam proprie sit istarum glebarum sebosarum, quibus tam praua indoles et virosa virtus tributa fuit, origo atque conditio. Quamvis nempe *Clarissimus* GRAYMANNVS omnem infamiae maculam ab ipsis fideliter absterferit, ad morbos tamen singulares et topicos eosdem referre non dubitauit, et ab humoris cuiusdam blandi, oleosi ac gelatinosi abundantia, et in glebas tales conuersione proficisci autumat. Quae quidem tanto magis nobis arridet sententia, quanto, sicuti saepius dictum fuit, certius est, in bobus large pastis hos tumores frequentissime solere reperiri. A saginatione enim, cum motus praesertim defectu coniuncta, praeter vniuersalem humorum accumulationem etiam sic dictam plethoram obesam facile generari posse, inter omnes constat. Sic ergo partes oleosae ac lymphaticae



ticae in cauernulas telae cellulosae copiosius expressae, nec iterum resorptae stagnant, stagnando inter se coeunt et copulantur, et in lobulos illos maiores minoresue conglomerantur. Atque thoracicam cavitatem propullulandis et affigendis hisce pinguibus glebis commodissimum praebere locum, ex eo poteris indicare, quod pleurae facies interna multum flocculenta sit, et cellulosa, externa vero, qua ossibus adhaeret, laeui et polita existente. Hi pleurae sacci quemadmodum se reuoluendo pulmones cingunt, ita flocculenta eorum superficies hic superior et externa, altera laeuis et polita inferior et interna euadit. En! itaque rationem, cur, licet in hominum corporibus pulmonum parenchyma pinguedine nunquam distinctum cernatur, e nimis aucta tamen, et immodica saginatione in bobus glebulae illae adiposae hinc inde excreseant, eorumque quoque pulmonibus externe laxae adhaereant. In aliam descendit sententiam solertissimus rerum naturalium et extorum scrutator GOEZIUS.^{p)} Cum hic non solum in plurimorum animalium visceribus eorumque intimis penetralibus, verum etiam in tuberculis quibusdam, praesertim hydatibus, oculo acute armato vermiculos nidulantes detexisset, has quoque boum glebulas pingues animalculis talibus scaterere, ab analogia, et sicuti ipsi videtur, maxima cum probabilitate concludit. Singulare hoc vermium genus est, antea prorsus incognitum, et ad eos referendum, qui animantium solummodo
cor-

p) GOEZIUS *Versuch einer Naturgeschichte der Eingeweidwürmer thierischer Körper*. Blankenburg, 1782. 4.



corpora, siue hominum siue brutorum inhabitant, et quos non tam extrinsecus introductos, quam intus genitos et conatos esse, hinc oculis semper destitutos, argumentis sat gravibus in medium prolatis ille contendit. Propter fabricam et structuram vesicularem, qua omnes gaudent, *Taeniae* ipsi *viscerales vesiculares* audiunt, eosdemque motum vere vermicularem et undulatorium manifesto edidisse, acie oculorum armatorum ad summum aucta, obseruatum fuit. Hi solis brutis, mammas gerentibus proprii esse videntur, necdum in auibus, aut amphibis, aut piscibus reperti sunt. Alii eorum intra tegmen vesiculare continentur, quod laxe eosdem externe inuestit, quodque, quo ipsis oculis possint vsurpari, antea caute remouendum est, alii absque hoc tegmine sunt. Ad priores sic dicti *Hydatigeni* *) pertinent, ad posteriores *cerebrales* referuntur, quos potissimum in ouium, vertigine correptorum cerebris latere, b. LESKIO *) demonstrante, scimus. Omnibus tamen commune est hoc, quod ipsis corpus sit vere organieum, ac licet articulis destitutum, rugosum tamen, quo semetipsum conuoluere, iterumque extendere possunt. Praeterea in parte vermis anteriore, quae ipsi instar capitis est, vna cum corona vncinata imposita quatuor vesiculae, ostiolo instructae conspiciuntur, quae instar oris esse videntur, poste-

*) Talium *Hydatigenarum* quatuor Gozzio species sunt: 1) *orbicularis*, 2) *piriformis*, 3) *vericulenta*, 4) *vesicularis fasciolata*, s. *Megoccephalos*. l. c. p. 42.

*) LESKENS *Abhandlung vom Drehen der Schaafte und dem Blasenbandeurn im Gehirn derselben, als die Ursache dieser Krankheit*. Leipz. 1780. 8.



posterior pars siue cauda in vesiculam terminalem mobilem exit, qua vel ipsas partes, quibus inhaeret vermiculus, in tumores eleuare fertur. Horum interdum plures ac numerosi vesiculari tegmine comprehenduntur, quos vel ideo *Taenias viscerales sociales granulofas* GOEZIVS appellauit, iisdemque genesin tumorum morbum boum gallicum mentientium attribui cupit. Pollicem ipsi premit *Celeberrimus* WICHMANNVS, (l. c.) idque vel ideo, quod modo nominatos tumores neque steatomatis, neque scirrhi, neque glandularum obstructarum duritiem possidere GRAYMANNVS asseruerit. Atque his non obstantibus talium boum carnes insontes, innocuasque idem declarauit. Namque neque in genere tanquam nauseam creantes eas esse reiiciendas, quod vel ipsius nauseae notio magis sit relatiua, neque abesse vermes ab animalibus bene multis, quorum tamen carnes tutissime, sineque vlla noxa in vsu fere quotidianum solerent vocari.



Wittenberg, Diss., Erg. bd. 6, 1783/91

ULB Halle

3

003 922 553



56.

WD/P







364

1928 K 944

16, 27

DE
VANO MORBI BOVM GALlici CARNIS.
QVE INDE MALE INFECTAE ET
INSALVBRIS METV.

DISSERTATIO OECONOM. - MEDICO - POLITICA

QVAM
INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO
NVERNBERGERO

PHILOS. ET MEDICIN. DOCT., ANATOM. ET BOTANICES PROFESS.
PVBLIC. ORDINAR., MVSEI ANATOMICI ET NATVRAE
CVRIOSORVM INSPECTOR, SOCIETATIS OECONO-
MICAE LIPSIENSIS SODAL. HONORAR.

PRO

GRADV DOCTORIS
RITE OBTINENDO

D. XI. MENS. OCTOBR. MDCCCXC.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB NEVMANN

ODERSCHAARIENSIS - HERMVNDVRS.
MEDICINAE CANDIDATVS ET PRACTICVS.

VITEBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

1790

